

Kem
1886.

I

G

D

V

Kern 1286

Dsl. m. Vern 3482(7)

SPECIMEN IN AVG VRALE MEDICVM

DIABETIS
INDOLEM AC MEDELAM
SISTENS

Q V O D

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
CONSENSV

PRAESENTE

D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN

PROFESSORE MEDICINAE, PHILOSOPHIAE

ET

HISTORIAE NATVRALIS PVBLICO ORDINARIO, CET.

PRO GRADV DOCTORIS
SOLEMNITER CONSEQVENDO.

AD D. X. NOVEMBR. MDCCCLXXXVI.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T I T

A V C T O R

VALENTINVS THEOPHILVS GERTH

MARIEBVRGO - BORVSSVS OCCIDENTALIS.

HALAE,

FORMIS I. C. H E N D E L I I.





ra
ca
et
du
su
au
m
ui
cc
ad



§. I.

Cum multis magnisque, nec facile superrandis difficultatibus excretionis vrinae immodicæ, quam *diabetem* vocant, theoria premitur, et hæ difficultates praecipue in fontis et aquae ductuum, adeo ingentem vrinae quantitatem suppeditantium, determinatione consistunt; tum auctorum de hoc obiecto dissensum non est, quod mireris. Sin igitur in comparandis sibique in uicem reconciliandis, quantumuis diuersis, medicorum opinionibus, inque iis momentis, quae ad commodum artis exercitium fructuola inueni-

Auntur,



untur, ex rudi indigestaque mole eruendis laudis qu
aliquid inest et vtilitatis, quodammodo et ego de
mereri mihi videor de artis pomoerii extenden-
dis, dum animum cepit cogitatio, diabetis indo-
lem ac medelam paullo curatius inuestigandi.

§. 2.

Vt vero diabetem ab aliis, quae faciem similem prae se ferunt, mictionis vitiis probe distinguamus, inprimis veram diabetis notionem adumbrare placet. Veri enim a spurio distinctionem receptam vides a scholis medicorum, vt tamen difficile dictu sit, quibus criteriis vtrumque affectum discernant. Vrina vel tenuis, aquea, supra potionum modum mingitur, vel quod profuse excernitur, crassius est, turbidum, albidum, veluti chylosum, alias et sapore, odore, colore melleo: quin perhibent interdum more lienteriae potum prae siti auide magna copia haustum celerrimo per corpus, tamquam per siphonem transitu, crudum, qualis sumptus est, ad vrinae receptaculum deferri et eiici. Inde varia variorum distinctio inter verum ac spurium diabetem inque varios gradus. In *spurio* vrinam

qua
n


uidis quantitate nimis copiosa excerni cum siti intensa,
 ego debilitate virium, macie, febre lenta, ardore cir-
 den- ca regionem lumbalem, verbo symptomatis he-
 ndo- ctiae confirmatae, interdum cum vrina aliquid
 pingue excerni, et tandem ut plurimum mortem
 subsequi solere, olim autem auit **E T T M V E L L E-**
R V S ^{a)}, et **verum** diabetem immutatam dixit
 ingestorum potulentorum per vrinam excretionem,
 iem coeliaca ac lienteriae similem, qua potulenta
 di- parum mutata redduntur quoad colorem, odo-
 rem, saporem, vinum rubrum mingitur, cet.
 stin- vt subinde tamen coniicias, nimias esse narra-
 , vt tiones scriptorum miracula amantium. Huic
 rarioi quidem diabetis speciei **aliam** adie-
 cit, quae coeliaca vrinialis appellari potest, nempe
 vel quando chylus cum vrina, aut loco vrinae prodit.
 um, Sunt alii, qui hanc ponant inter **verum** et **spu-**
 ore, **rium** diabetem differentiam, vt in hoc vrina te-
 nuis plerunque, aquosa et parum a sanitate re-
 cedens absque tabe, in illo autem chylosa, mel-
 lea et dulcis, oleosa ac cruda conspiciatur cum
 est, corporis colligatione. Contra ea ab aliis **u-**
 va. **ria** dicitur apocenosis vrinaria, quae vrinam si-
 dia- stit
 nam
 qua

A 2

stit

^{a)} ALLEN Synops. medic. pract. p. 191.





st̄t varii coloris crassam; *vera*, quae limpidam,
aquosam ^{b)}.

§. 3.

Superfluum foret, plura dissensionis et repugnantiae auctorum exempla laudare. Eam vero repugnantiam nullam non tantum utilitateim spondere, sed multis ambagibus tironum iudicium impedire, de eo qui dubitauerit, neminem fore arbitror, cui scholae iugum detrectare contigit. Nec te rogaturum nunc puto, an e te medicinæ esset, si veri ac spurii diabetis notionem omnino careres ^{c)}, et diabetis nomine immodicum notares vrinae profluuium, serosum, chylousum, cum corporis colligatione coniunctum. Immodicum illud ex mole ingestorum, stimuli diure-

^{b)} cl. DANIEL Syst. segritud. T. I. p. 122. iuxta auctoritatem cl. STOELLER.

^{c)} Cuius asserti veritatem equidem de omnium reliquorum morborum in legitimos ac spurios diuisione, Pathologis visitata, valere, non admodum dubito. Medicum enim morbi non nomen quaerere oportet, sed quid caussam expediat. Causa igitur, ne ordinem morborum naturalem disrumpas, si aequali morborum faciei, quae ut a causis diuersissimis pendet, ita diuerlam requirit mendam, diuisonis fundamentum superstruere placeat.



dam, diuretici proportione, propria cuius homini natura, excretionum reliquarum ratione, et quod maximum in hac re est, ex virium sana, morbos, constitutione aestimabis, ut inter profluvium vrinae et corporis colligationem nexum caussalem intercedere, vel illud hanc citius, serius inducere, vel ex vitiata succorum alibilium cohaesione, mixtione, enasci perspicias. Requirit igitur hoc mali genus praeternaturalē corporis conditionem, vel labem fluidorum vel virium corporis, systematis in primis lymphatici, alienationem vel utramque permanentem factam, ut diabetem haud aegre distinguas ab incontinentia vrinae, a diuresi critica, ab ea denique, quam secundum naturam mouent diuretica, affectus animi tristes, aer humidus, frigidus, rel. dum modo certa animaduertas compertaque momenta, non tantum multitudinem vrinae, quae in spurio auctorum diabete interdum longe copiosius profluit, quam in vero.

§. 4.

Hoc loco non alienum erit a re, vocis diuersitatem memorare, quam ab antiquissimis temporibus usque ad recentiorem aetatem affectus





tus noster sustinuit, prout diuersas de eius origine fab
ac natura ideas conceperunt medici. Et Graecis pl
quidem διαβήτης audit a διαβαλω, permeo, tran
seo ^{a)}, διψανος ^{e)} a διψαιω, sitim sentio, vel,
si diis placet, a serpente quodam Lybiae incola,
διψας dicto, quod hi, quos mordicus apprehende
rit, siti inarescant. Scire tamen conuenit, dia
betem quidem serosum, non vero lacteum chylo
sumque antiquitati cognitum fuisse, quantum augu
rari licet ex ARETAEI, GALENI, PAVLI
AEGINETAE, CELSI aliorumque descriptio
nibus, qui nūl am iniiciunt mentionem vrinae melle
quasi tintae et simul dulcis. Hydropis ad ma
tulam, diarrhoeae vrinosae, matulae inter cutem,
syphonis vrinae, Harnflus, Harnruhr, nomine,
postera aetas celebrauit affectum, qui hac ratio
ne incedit:

§. 5.

Diuturna est eius creatio, et longo tem
pore parturitur. Os aegroti ab initio exsiccatu;

fali-

^{d)} ὁ οὐλεύμενος ὑδρῶψ εἰς αἷμα, τινές δὲ διαβῆτην αυ
τὸν ὄνομαζουσιν, ἀλλοι δὲ διάρροιαν εἰς οὖρα. G A
LEN. de causis morb.

^{e)} Διψανος ταχεῖα τῶν πινομένων διέξοδος secundum de
finitionem AEGINETA E. L. III.

gine faliua albida, spumosa crebro exspuitur; paulo
 nectis plus lotii, quam moris erat, effunditur absque
 ran dolore; sitis vrget, sed nondum vehemens; ca-
 vel, lefactio parua quidem, sed mordax visceribus,
 col, praecordiis, inhaerens exoritur, vt haec combu-
 nde- ri videantur; habitus corporis gracilis euadit;
 dia. circa praecordia sensum grauitatis percipit aeger,
 ylo- et anxius euadit et animo dubius; in regione ve-
 gū sicae nescio, quem frigoris aut caloris descensum
 v LI sentit, nec raro dolores leuiuscum vagi accedunt.
 otio- Progressu temporis sitis vehementius afficit, vt
 elle nulla sedari possit potatione; indefinens est vri-
 nae profluum, sitis intolerabilis, potus copio-
 ma- sus, vrinae tamen multitudini non respondens.
 em, Nonnullis, in primis si per breue temporis spa-
 ine, tum a mingendo abstinuerint, testes, lumbi et
 tio- coxae, maximeque pedes intumescunt; totum
 em- corpus sub febricula lenta pedetentim consumitur
 ur; ac veluti liqueficit; sequuntur tabis phaenomena,
 ali- prostratio virium, anorexia, status cachecticus;
 au- sub finem non raro obseruantur raucedo, dyspnoea,
 de- peripneumonia, affectus anginoidei, subsultus
 tendinum, motus conuulsiui vniuersales. Postre-
 mo cum dolore mingitur et mors in propinquuo
 est. Vrinae gustus a principio lenis et minime
 dulcis





dulcis, paulatim tamen salsedine priuatae dulcescit, ex quo coniicitur, primum seri partem aquosam, postea ipsam chylosam secedere, argumento diabetis in hecticam transitus et phthisicorum plurimorum insignis sputi dulcediniis ad nauseam usque molestae.

§. 6.

Diabetes vel protopathicus est vel deuteropathicus, et hic quidem non paucis morbis comitem se iungit. Huc pertinet diabetes, quo infantes verminosi interdum vexantur; atrabilarius ^f); dysarthriticus, in inueterata arthritide extra paroxysmos obuius ^g; scabiosus ^h); diabetes fluxui dysenterico ⁱ), variolis ^k), morbillis,

hypo-

^f) Phil. Transact. T. XIX. n. 225. p. 402.

^g) SYDENH. de pod. p. 463. SAVV. Nosol. meth. Sp. 6.
WHYTT. opp. p. 422.

^h) COMIN. Lipf. XIV. 365. M. N. C. dec. 2. a. 10. p. 162.
C. WEBER obs. f. I. p. 62.

ⁱ) Secundum obs. OL. BORRICH. Act. Hafn. Vol. I. obs. 42.

^k) PLENCRIZ de variolis p. 58.

hypochondriasi, hysteriae ^{l)}, rheumati ^{m)}, febri
intermittenti, in primis quae senes diu infestauit,
sanguinis detractione, aut aliis, quae vires fran-
gunt, medicamentis incongrue tractata fuit,
febri ardenti ⁿ⁾, menstruis suppressis, infantum
denique dentitioni ^{o)} superueniens.

§. 7.

Vt igitur diabetes deuteropathicus ex pu-
tridis, colliquatiuis et corruptis humoribus tam in
morbis longis, quam in acutis contagiosis non
minus

l) SYDENH. diss. epistol de hysteria p. 415. CHEYNE
de sanitat. infirm. tuend. pag. 149.

m) WEPFER apopl. p. 221.

n) ZAC. LVSITAN. Prax. hist. L. 2. c. 16. p. 448.

o) MORTON. phth. c. 8. h. 3. p. 18. Memorabile sane
exemplum trium filiorum, prima infancia, vbi scilicet
primum coepervint denturire, diabeticæ tabe sublatorum.
Pater, qui morbi nomen ignorauit, dum obseruaret
eodem modo omnes filios periisse, idque fere circa idem
aetatis tempus atque id, in extremam emaciationem
reductos, cum perpetua et inextinguibili siti, profluui
vrinae mirabili, medicum demum consuluit de quarto
filio denturiente, phthisi diabeticæ pariter affecto, quae
nec curationem admisit, vsque dum dentium eruptio
iam plane fuerit completa.

minus quam ex inflammatione et abscessu renis et nephritide calculosa generatur; ita diabetem primarium imbecillitas renum, nimia corporis refrigeratio, potus nimis aquosus et multo magis frigidus, valentiora diuretica tum alimenta tum medicamenta, immodicum veneris exercitium, humida aeris constitutio, excretio cutanea suppressa, habitus corporis strictior, humor ex atmosphaera attractus, alia producunt irritamentorum genera.

§. 8.

In hypochondriacis, hysterics, subinde periodicum obseruarunt vrinae profluvium. Epilepticis quoque et mulieribus, quibus menstrua retenta, familiaris est ista iuxta circuitum parilitas, ut saepe tamen periodicus fluor in continuum abeat. At vero, ut quod res est dicam, an diabetis periodici, quae auctores reliquerunt, exempla diabeti nostro vi notionis §. 3. stabilitiae iure adnumerari queant, admodum dubito. Ita enim THOM. BARTHOL. p) refert de PETRO BULLICHIO, archiatro quondam danico, quod singulis mensibus, praegressis ne-

phri-

p) A. N. C. D. I. A. 2.

phriticis cruciatibus, fluxum diabeticum passus
sit, singulisque diebus sub plenilunio mensuras
XII. aquae **A B S Q V E C O R P O R I S C O L L I-**
Q V A T I O N E minxerit, licet vix tertiam partem
vnius mensurae interea biberit. Vrina fuit sabu-
losa et sal ex illa elicitum, cani propinatum,
eum necauit, pilis cadentibus. Similem obser-
uationem recenset **O L A V S B O R R I C H I V S** ²⁾
de viro quodam amplissimo hafniensi, qui circa
annum aetatis suae LXVI. quoquis mense bis se-
melue potissimum nimirum sub plenilunio, inter-
dum etiam sub nouilunio affectu diabetico afflatus
fuit, vbi primis tribus diebus intoleranda stran-
guria vexabatur, reliquo triduo vero soluebatur
vesicae sphincter et his tribus diebus **L X X I I L b.**
vel **XXXVI** mensurae vrinae **A B S Q V E** tamen
C O L L I Q V A T I O N E C O R P O R I S euacuabam-
tur, cum interea vix $\frac{1}{2}$ mensuram potus assum-
serit, et ne toto quidem mense **XX.** mensur. hau-
serit. Vrina fuit decolor cum filamentis albis
immixtis. Septimo semper morbi die vesicae
sphincter claudebatur, redibat vrinae color, et
aeger ad negotia publica reuertebatur.

§. 9.

2) c. l.



§. 9.

Cognitum est hactenus, genus neruorum
hanc fibi vindicare proprietatem, vt ipsi impressae ge-
mutationes statis quibusdam temporibus recurrent.
Quibus si comparaueris laudata diuresis periodi-
cae exempla, sensilitatis quidem aut mobilitatis
nimiae speciem argueris, et labem corporis tem-
porariam magis quam perseverantem, quae an pro-
pria vi absque nouae potentiae saltim manifestae
accessione, aliquando semet ipsam excitare va-
leat? an simili ratione, qua euacuationes cathar-
tice decrescente luna melius procedunt, quam
crescente, interdum cum nouilunio, saepius ve-
ro cum plenilunio conspiret? non permittit ab-
scondita periodorum natura, vt quidquam certi
definire possim. Satis est, absque colligatione
corporis mingi vrinam, vt de vera diabetis natu-
ra, qui per periodum recurrit, perinde dubius
sis, ac de illa diabetis, qui per integrum vitam
durasse dicitur ^{r).}

§. 10.

^{r)} E. N. C. D. I. a. 2. o. 175. Diabete congenito plures
infantes, iisdem parentibus natos, mortuos legimus apud
cl D A V T A N E Cf. ill. Blumenbach. bibl. med. L. 2.
P. I. p 126.

§. 10.

Cum mortuorum dissectiones, modo dili-
genter administratae fuerint, et aetiologyae mor-
borum caute applicatae, systemati aegritudinum
non parum lucis ac certitudinis attulerint; equidem
in iis recensendis, quae praestantissimi et facile
principes in arte viri obseruauunt, operam non
omnino inutilem me collocaturum putau. In ho-
mine, qui affectibus nephriticis laborauerat, dein
in diabetem inciderat, quo interimebatur, re-
nes fere consumtos, vreteres admodum tortuo-
fos et in variis locis expansos vidit FR. RY-
SCHIVS¹⁾. Hominem quinquagenarium disse-
cuit BALLONIVS²⁾, qui dolore nephritico
per longum tempus cruciatus lapillos reddiderat
et demum fluxu diabetico moriebatur. Ren fini-
ster lapide anguloſo repletus, dexter vero minor
erat et callapsus. Idem in alio subiecto diabete
defuncto, vesicam vrinariam contractam cum in-
tumescientia et destructione gangraenosa inuenit.
In iuuene, malo hypochondriaco laborante, dia-
bete demum exstincto, viscerum indurations,
glan.

¹⁾ Oper. om. obs. cent. T. I. c XIII. p. 18.

²⁾ Consil. 39. L.

glandularum meseraicarum duritiem ac tumorem, tunc in glandulis magnitudinem hic, illic, aequantem, omnia et glandularum tumorem ramo venae portarum maiori superstratum, liberum sanguinis circulum strangulantem, detexit I. IVNCKERVS^{u)}. In alio exemplo renes solito flaccidiores et cinerei inuenti sunt ^{v)}, et vitium quoddam hepatis, steatomati simile, in diabeticis post mortem numquam fere non obvium RICHARDVS MEAD^{w)} testatur. MORGAGNI^{x)} denique historiam viri enarrat, qui simul laborauit diabete et vrinnae retentione. Aegrotus iste post singulas catheteris applicationes septem fere lotii libras reddidit, cum admodum exiguis esset potulentorum modus. Febre demum lenta correptus, vita excessit. Peritonaeum ad hypogastrium liuens, et intestina subliuida conspiciebantur. In summo fundo vesicae distentae vas a sanguifera exterius tur-

^{u)} Ex relatione celeb. KRATZENSTEINII in theoria fluxus diabetici § 7.

^{v)} LIEVTAUD hist. anat. med. P. I. c. I. O. 69. p. 250.

^{w)} Mechanical account of poisons. Essay I. Ed. 4. Lond. 1747. p. 3. sq.

^{x)} de sedibus et cauiss. morb. T. II. L. III. Ep. XLI. art. 14. 15.

em, turgebant; tunica interior hic, illic, rubescet; em, omnes vero tunicae solito erant crassiores, ut mis- rum fa vrina vesica maius, quam par est, volumen dum retineret. Haec grumum continebat, hydatidem In semifilaceram referentem, quam cum paulo cu- erei ratius inuestigaret naturae scrutator, pro tenui tea- habuit concretione polyposa. Prostata in eodem im- subiecto tumefacta erat et insigni duritie pree- o w) dita.

§. II.

G A L E N V S .

Circa cauſam diabetis proximam auctores ab omni inde tempore in diuersas abiere senten- tias. G A L E N V S ^{y)}, et qui G A L E N V M se- quuntur ceu pathematis huius principium affe- ctiōnēm renūm calidam agnoscunt, qua serum sanguinis ex vena caua prolixius allicant. Quod vero ob facultatis retentricis infirmitatem diu con- tinere nequeunt, quin ad vesicam demittant, vt vrināe vitium lienteriae haud absimile sit, quae cibos nondum concoctos aut imperfecte coctos ob facultatis ventriculi et intestinorum retentricis debilitatem per aluum deiiciat.

§. 12.

^{y)} de loc. affect. L. VI. c. 3.





§. 12.

ARETAEVS.

Secundum ARETAEI ^{z)} sententiam quoad caussam habitumque speciem hydropis diabetes constituit. Peritonaeum, nimirum inquit, conceptaculum ascitis est, nec defluuium habet; in diabete vero idem est a paciente lapsus humoris eademque colliquatio, in renes autem et vesicam exeundo fertur effusio.

§. 13.

NICOLAVS PISO. AVICENNA.

Ab humore quodam bilioso, acri, falso, re-nibus impacto, quo renes continuo ad attractio-nem sollicitantur, diabetis originem olim deriu-auit NICOL. PISO ^{a)}. AVICENNAE ^{b)} etiam ab

theo-

^{z)} diut. morb. cur. L. II. p. 129.

^{a)} de cogn. et cur. praec. C. H. affect. c. 33. p. 338.

^{b)} L. III. Tr. II. c. XVII. p. m. exposit. GENTILIS 416. "Et caussa quidem diabetis est dispositio rerum, aut propter debilitatem accidentem et dilatantem et aper-tionem orificiorum meatus, quare non adunatur tanta ho-

theoria de caussa diabetis frigida multis seculo-
rum interuallis relata est a scholis medicorum ac
regustata.

§. 14.

CONRINGIVS. WILLISIVS.

In sanguine nimis dissoluto fluxus diabetici
caussam quaerit CONRINGIVS ^{c)}, et hanc sanguini-
nis tenuitatem a defectu particularum sulphurea-
rum deducit. Huic sententiae proxime accedit
WILLISIVS ^{d)}. Mixtionem enim sanguinis ita
laxari et quadantenus dissolui putat, vt pars san-
guinis serosa a crassamento contineri nequeat, hinc
per renum distericula maxime peruia excurrat.
Haec autem sanguinis dissolutio inde oritur, quod
sales diuersae indolis in sanguinis massa coniubium
incent, hinc reliquae particulae salinis, quae eas
ab innicem seiungunt et in mixtione continent,

libe-

hora, qua figatur aquositas in renibus. Et quandoque
fit illud ex frigore dominante corpori aut renibus. Et
quandoque facit illud potus aquae frigidae aut obsessio
vehemens frigoris in totum penetrantis. " cert.

c) Diff. de diabete. Helmstad. 1676.

d) Oper. omn. Sect. 4. c. 3.

B





liberatae statim in partes secedant. Quodsi quis
pergit, porro quaesiuerit, vndenam sales isti
quorum priuata combinatione sanguinis mixtio-
nem solui eiusque fusionem induci supponimus
adueniant; non est pro illis designandis vt altius
inquiramus. Etenim constat, massae sanguineae
particulas salino fixas et volatiles secundum natu-
ram inesse, quibus si quando sal acidus seu fluo-
re potitus satis vbertim accedat, praedictam affe-
ctionem facile excitabit. Praeterea in caussae con-
iunctae partem renes aliquando conspirare, non
abnuit, et renum fermentum ita vitiari posse affir-
mat, vt sanguinem salis lixiuialis influxu in debi-
ta mixtione ac fluiditate non contineat, et serum
facile ab eo diuelli finat. Neque absimile vi-
detur WILLISIO, tubulorum renum lymphati-
corum nimiam amplitudinem ac peruiationem
latici seroso celerrimum et introitum et transitum
permittere.

§. 15.

MARTINVS LISTER.

Primariam diabetis sedem in ventriculo et
intestinis tenuibus collocauit LISTERVS ^{e)}

^{qui}

^{e)} Exercit. med. de morb. chron. p. 11.

qui in eo egregie fallitur, quod morbi effectus
ad sedem morbi stabilendam adhibeat. Sitis in-
extinguibilis ex ventriculo oritur -- viscera ae-
grotis vri videntur et quasi conflagrare - po-
tum avide ac praepostere ingerunt, vt subita-
neae ac continuae fluidorum egestioni par ratio
intercedat cum ingestione potulentorum.

§. 16.

RICHARDVS MEAD.

Hactenus vasculorum renalium imbecillitatis
doctrina, tot scholarum praesidiis propugnaculis-
que munita, propter ipsam dominatus sui diutur-
nitatem fixa atque iminota mansura videbatur, nili
eam quodammodo subruisset MEADI auctori-
tas f). Is enim nouam, a communi medicorum
opinione diuersam viam incedit, et morbi sedem
hepati assignat. Diabeti maxime obnoxios pro-
nunciat eos, qui vitam non satis mobilem de-
gant, hinc laticem vrinosum cothrahan, et inde
ortam sitim nimia potus refrigerantis ingurgita-
tione extinguant. Hac lege proportio salis in-

B 2

bile

f) Cf. L. I. I.





bile naturalis, qua aqua oleo iungitur, ob partis aquosae exuberantiam iustae ac sanitati congruae mixtioni non sufficit, aqua cum tenuiori quadam olei parte renibus crebro excernitur, et perpetuus eius affluxus canales vriniferos distendit; crassiores vero oleosae particulae, in tubulis hepatis tenuioribus relictæ, substantiam duram et pinguem instar coaguli efficiunt. Neque omnino negari potest, fluxum diabeticum interdum viscerum infarctum sibi coniunctum habere. Cum vero dissectiones mortuorum saepe nullum obstructionis vestigium palam reddiderint, nec raro resoluentium abusus diabeti ansam praebuerit; caue, ne nimius sis in unica morbi causa, quae multiplex est, anquimentanda.

§. 17.

F.R. HOFFMANNVS.

Post MEADIVM inuenti sunt alii, qui morbi caussam non simplicem, sed ex pluribus conflatam tuerentur. Et HOFFMANNVS g) quidem ita ratiocinatur: vrinae transitu per renes ab obstaculo quocumque intercepto, fieri non potest, quin pars vreteris pari-

g) Op. omn. T.IV. p.m. 275.

pariter ac renis cauitas a cumulato sero vrinoſo nimis dilatetur et expandatur. Sub hac stagnatione non exigua feri quantitas ad sanguinis massam retroire videtur. Obstaculo vero remoto, calculi mole imminuta, spasmis mitigatis, rel. primum collecta in rene et vreteribns vrina magno cum impetu per vescicam erumpit, tumque retroactum antea in sanguinem serum ex hoc iterum per poros renum laxatos apertosque in vias penetrat vrinarias.

§. 18.

V O G E L I V S.

Sententiam suam interponit **V O G E L I V S**^{b)}, cui interdum renes laborare videntur singulari imbecillitate, interdum vero non laborare, et sanguinis massa in serum tantummodo copiosus fusa esse, siquidem renum varia vitia aliquando detecta sunt in cadaueribus atque insuper diabetes nativus antiquorum sententiam confirmat. Li- quationem vero feri, illaeſis renibus, probabilem

red-

b) Praelect. de C. H. affect. p. 281. Ceu morbum colliquativum diabetem considerat J. B R I S B A N E auserles. Fälle. Altenb. 1777. p. 15. Renum irritatio, omnem feri copiam ad se alliciens, placer ill. de K R ' Z O W I T Z de diab. comment. Vindob. 1778.



reddunt tum symptomaticus diabetes, tum diureticorum effectus et refrigeratio, quae in nonnullis diabetem parit. Neque improbabile est, quod utrumque vitium in uno corpore simul existat.

§. 19.

CVLLEN. PLACE.

Nec desuerunt nouissimis temporibus, qui assimilationem succi alibilis deficientem, vitiatam, caussam diabeti praebere statuerent. CVLLENⁱ⁾ et FRANC. PLACE^{k)} nominasse sufficiat.

§. 20.

D A R V I N V S.

Quae vero ut animum coaeuorum, ita maxime detinuit meum, doctrina est cl. DARVINI^{l)}, in medium nuper allata. Qui quidem,
cum

ⁱ⁾ Anfangsgr. d. præt. A. W. Th. 3. S. 301.

^{k)} Diff. de vera diabetis causa in defectu assimilationis quaerenda. Goett. 1784.

^{l)} E. DARVIN account of the retrograde motion of the absorbent Vessels etc. Lichfield. 1780. Idem tractatus in



cum intelligeret, diuersas de diabetis origine doctrinas, adhuc diuulgatas, omnibus circa phaeno-
menorum explicationem difficultatibus superandis
minime sufficere, eo adductus est, vt motum
vasorum lympham vehentium retrogradum sibi
sumeret, et hanc caussam plurimis sustineret ar-
gumentis, quibus quanta ad persuadendum vis
insit, infra patebit.

§. 21.

Vasorum lymphaticorum sub nomine veniunt
venae subtiles, diaphanae, ex diversis corporis
partibus liquidum pellucidum excolor, subin et
subflavescens aut rubellum revehentes. Vasa haec
lymphatica una cum venis lacteis, quae proprio
magis termino vasa lymphatica intestinorum vo-
cari possent, cum trunco communi, *ductus tho-*
racicuſ, appellato, et glandulis rotundis aut ita
dictis lymphaticis sistema lymphaticum consti-
tuunt. Vasa igitur lactea, praeter originem, in
omnibus cum lymphaticis conveniunt, nam ea-
dem

in linguam germanicam versus, prostat in: auserleſ.
Abhandl. f. prakt. Aerzte. B. 6. St. 2. p. 254.





dem illis est fabrica, eodem modo per glandulas conglobatas distribuuntur, vnum omnino vasorum genus, absorbentium nomine ab aliis distinguendum.

§. 22.

Membrana horum vasculorum tenuis est, pellucida, robusta tamen satis, ratione ad propriam illorum indolem sumta. Vasa propria ac nervos et fibras musculares huic membranae inesse, praeter clariss. LEBER^{m)} aliosque, nuperrime etiam illust. SHELDONⁿ⁾ docuit, vti id ex eorum irritabilitate, euacuatorum liquido contento constrictione, intumescentia ac dolore aperte demonstratur.

§. 23.

Valuulas nacta sunt vasa lymphatica, iis satis similes, quae in venis rubris inueniuntur; gemina nimirum sunt vela semilunaria a duplicata versus iuteriora prominente membrana horum

va-

^{m)} Praelect. anatom. p. 305.

ⁿ⁾ The History of the absorbent System ex recensione ill. Blumenbach, Bibl. med. L. I. p. IV. p. 676.

vasorum efformata, et spatium parabolicum inclu-
 dentia, cuius apex conexus partem vasculi a
 corde remotiorem, cornua vero ductum thoraci-
 cum respiciunt, hinc lymphae maiores in truncos
 liberum fluxum concedunt, eius vero in minores
 ramulos refluxum in statu naturali impediunt.
 Valuularum membrana microscopio lustrata, fibras
 innumeris ab una parte in oppositam exorre-
 ctas, totidemque quasi surculos et fibras motri-
 ces repraesentantes, conspicidas praebet, ne-
 que deficiunt hic corpuscula orbicularia, hinc inde
 fibris descriptis annexa. Ab hac ita fabrica-
 ta valuula robur eius pendere facile est intelle-
 ctu. Insigne autem his valuulis robur inesse,
 ex eo apparet, quod magnum saepe mercurii pon-
 dus sustineant, nec facile inde rumpantur. In
 plerisque vasis absorbentibus numerosae qui-
 dem sunt illae valuulae, sed non in omnibus
 eadem illarum est frequentia; dantur enim ramu-
 li lymphatici v. g. in ventriculo, valuulis rarissime
 distincti ^{o)}. Quid quo vasa absorbentia valuulis
 omnino

o) b MECKEL. diss. epistolar. de vasis lymphat. glandulis-
 que congregatis. P. 13.



omnino destituta a viris clarissimis visa sunt et descripta p).

§. 24.

Dispersa sunt vasa absorbentia per totum corpus q) et ita quidem, ut virium externarum, pulmonum nimirum, muscularum, intestinalium et vasorum rubrorum actioni simul obnoxia sint.

§. 25.

Vasa lymphatica in specie sic dicta a superficie in- et externa totius corporis, membranarumque cauum quoddam includentium oriuntur ex cellulosa; vasa autem lactea eodem modo ab intestinalibus, ut vasa lymphatica ex cellulosa proueniunt. Plurimi eiusmodi ex cellulosa orti ramuli lympha-

p) HALLER. Element. Physiol. T. VII. p. 195.

q) Cum praesentia vasorum absorbentium in multis animalium classibus, auiibus quippe, ceu anseri, gallo indicio, amphibiis, quin in pisces demonstrata est, tum in quadrupedibus et homine, ea in manibus et pede, cerebro et oculo a clarissimis viris observata sunt, ut probabile sit admodum, vix ullam partem C. H. existere, illis plane destitutam.

lymphatici sub vteriori progressu in maiores confluunt ramos, horumque plures sensim sensimque coëntes trunculum siue vas lymphaticum consti- tuunt, quod vterius progrediens saepius diuiditur in ramos trunco minores, acutissimo angulo a se invicem discedentes, atque haec diuisio ter quaterque, immo pluries occurrere solet. Sic longo saepe tractu absque glandulis congregatis ince- dunt vasa lymphatica, quas tamen continuato itinere salutare solent ita, ut vel integra, vel ante insertionem in varios minores incerti numeri ramos fissa, glandulam intrent, hic vterius diui- denda, tandem e glandula ad alias partes prore- pentia, in ductum vnicum conueniant. Communis vasorum absorbentium confluxus in ductum thora- cicum constanter fere obseruatur ^{r)}). Hic du- catus perpendiculariter fere adscendit et venae sub- claviae sinistrale cum iugulari interna coniunctio- nem plerumque ingreditur. Notari etiam mere- tur, vasa absorbentia multis anastomosibus inter se communicare.

§. 26.

^{r)} Interduum vasa lymphatica liquorem suum partim venae subclaviae extræ, partim venæ iugulari internæ infundunt. Vid. MASCAGNI Prodrome d'un ouvrage sur le Système des vaisseaux lymphatiques etc.

§. 26.

Diximus vasa absorbentia continuato itinere glandulas congregatas adire; ergo necesse erit, ut de his differamus. Veniunt autem glandularum congregatarum nomine corpora subrotunda aut inaequalia, diuersae magnitudinis, quae vasa lymphatica modo recipiunt, iterumque dimittunt, et ut verbis LUDWIGI^{s)} vtar, concatenatum quasi vasorum tractum efficiunt, hinc in collo, pectore, abdome sita, et ad artus usque cum magnis vasibus producta inque mesenterio et circa ductus thoracici tractum potissimum conspicua. Hae glandulae membrana teguntur sat firma, durissima, facile densiore naturam, immo cartilagineam nonnumquam induente, vasculis sanguiferis numerosissimis distincta, quae ut omnibus vel minimis partibus, ita etiam his glandulis nutritionis causa natura destinavit: adeoque haec vasa cum illis, quae glandularum congregatarum texturam constituunt, neutiquam continua sunt, sed superficiem glandularum ambeunt. Nervi glandulas congregatas adeuntes, ante egressum

^{s)} Institut. physiol. P.I. C.IV. §. 231.



sum ramulos emittunt ¹⁾. Hac breui descriptione de structura, ortu, situ, fine et distributione vasorum lymphaticorum per glandulas lymphaticas praemissa, usum harum partium paucis attinamus.

§. 27.

Oeconomiam animalem sine noua deperditorum restituzione neque diu persistere, neque incolumem conseruari posse, adeo verum est, ut quantum scio, nemini dubium sit. Quam diu enim vitam eamque perfectam agimus, perpetuo tam fluidae partes, ex quibus corpus nostrum compositum est, amittuntur, et sanguis, qui fons atque origo omnium, quae secernuntur, atque e corpore excernuntur, fluidorum, jure appellatur, continuo consumitur, dum altera humorum pars per cutem et pulmones diffatur, altera per sputum, vrinam, alvum, proiicitur. Neque parum sanguinis ad partium solidarum nutritionem impenditur. Porro perenni humorum per vasa motu, partes eorum atteruntur

¹⁾ WERNERI et FELLERI descript. anatomico physiologica vasorum lacteorum atque lymphaticor. Lipsi. 1784.

tur et destruuntur; salia magis evolvuntur et liberantur, mitis fluidorum indoles in acrem mutatur, variaque impuritatis et acrimoniae genera nascuntur, quae certe sanitatem destruerent, nisi partim excernerentur, partim autem noua blandi fluidi accessione temperarentur et corrigerentur. In quem finem natura machinae animali vasa dedit, quae novum liquidi penum sanguinis massae affundant.

§. 28.

Vasa enim sic dicta lactea apertis extre-
rum orificiis in intestina hiant, chylum ibi con-
tentum absorbent, et per glandulas congregatas
ferunt. Ex his postquam chylus mutationes suas
fustinuit, ulterius promouetur per capsulam chyli,
ex qua per ductum thoracicum ascendit, et tan-
dem in venam subclaviam sinistram effunditur.
Simili modo vasa absorbentia per totum corpus
disperfa, humidum, quod ipsis se offert, attra-
hant, et per ductum thoracicum sanguini veno-
so reddunt. Vires autem, quarum actione liqui-
dum a vasis absorbentibus haustum promouetur,
sunt

funt vis membranae ^{a)} contractilis, musculi et arteriae, his vasis adiacentes; at tamen hae vires tam retrorsum quam antrorsum fluidum pellerent, nisi valuulae retrocedenti fluido resistarent.

§. 29.

Cognita igitur vasorum absorbentium in oeconomia animali dignitate, restat ut paucis affectiones, quae in haec vasa cadunt, perstringamus; partium enim, quarum structura et usus per longa seculorum interualla latuere, morbos, eorumque caussas detegere, in eo quidem decus et ornamentum inuenire mihi videor. Ne autem limites dissertatiunculae transgrediar, necesse erit, ut in iis solummodo acquiescam, quae theoriae morbi diabetici dijudicandae inferuiunt. Omnis vero, quae de theoria Daruiniana institui potest, disputatio, his fere continetur: num vasa valuulosa tale vitii genus contrahere possint, quo fluida in ipsis contenta, directione contraria mouantur?

^{a)} Hanc vim contractilem in vasibus absorbentibus multo quam in vasibus rubris validiorem esse HALLERVS ipse concedit, Element. Physiolog. T. VII. p. 234.

tur? an fluida alia etiam via, quam per vreteres, ad vesicam perueniant? an omnia fluxus diabetici phoenomena de motu retrogrado lymphae et chyli versus vesicam certiores nos reddant?

§. 30.

Vt primae quaestioni faciamus satis, oportet structuram valuularum respicere. Sunt enim valuulae, quae tam ad motum fluidi promouendum, quam ad eius refluxum impediendum in statu naturali faciunt, ex fibris muscularibus compositae, quae variis caussis tono suo priuari, laxitatem, rigiditatem, morbosam contrahere queunt, vt fluida in vasis absorbentibus contenta, ac viribus supra determinatis mouenda, ob vitia valuularum, siue earum paralysin, siue rigiditatem, viam quaerant a legibus naturae abludentem, et sub conditione versus vesicam ferantur. At vero haec valvularum vitia non ficta, sed veritati consentanea esse, indubiis comprobatur obseruatis. Sic valuulae aortae saepius vitiosae extiterunt, in quo casu sanguinis refluxus versus cor minime impediri potuit, quem vehementiores exceperunt cordis palpitationes. Exemplum simile offert

offert valvula coli, dum excrementa alvina motu retrogrado per os ejiciuntur ex obstrunctione alvi contumaciiori; valvula orificii ventriculi superiores, quo tempore contenta versus gulam regurgitant. Cumque hoc valvularum genus etiam majus robur sit nactum, nonne per modum analogiae coniicere licet, vasorum lymphaticorum valvulas simili modo eoque facilius affici, quo minus robur earum resistit?

§. 31.

Sed ut in alteram quaestionem descendamus, ab omni inde tempore clari fuere viri, qui praeter renes viam aliam suspicarentur ex ventriculo in vesicam ducere, qua breuissimo itinere potus e corpore egrediatur. Inter recentiores in primis clariss. KRATZENSTEIN ^{w)} hanc viam extra omnem dubitationis aleam posuit. His enim verbis euentum experimentorum hanc obcaussam institutorum enarrat: Incisione exigua in abdomen canis vivi facta, ambo vreteres filo cerato ligavimus, vulnusque consolidavimus, et majoris certitudinis gratia vesicam ab omni lotio ope

^{w)} l. c. §. 22.

C





ope catheteris exonerauimus. Nihilo minus canis potum paulo post avide ingurgitans, vrinam per consuetas vias reddidit. Idem quoque accidit, postquam vrteres prorsus abscissi erant. Alterum experimentum, quo confirmatur, non omnem vrinam necessario per arterias renales secerni et vrterum ope ad vesicam deferri, clariss. DARVINVS ^{x)} instituit. Propinavit nimirum homini cuidam potum sic dictum Punsch, cui nitrum admixtum erat; vrina quae paulo post emittebatur, nitri praesentiam manifeste monstrabat, in sanguine vero, eodem tempore e vena ejusdem hominis detracto, nullum nitri vestigium deprehendebatur. Similem fere observationem illust. PERCIVAL ^{y)} habet, et viam suadent aquae frigidae, in calidum corpus ingestae, pene absque intervallo temporis de corpore egressus, natura potulentorum vix mutata, quae in lotio eadem rediit, qualis in potu fuerat, lotium renibus morbosis destructis generatum, aquae in caveam abdominalis iniectae intra aliquot horas resorptio, per vrinam egestio, celerrimae hydropicorum

per

^{x)} l. c.

^{y)} Beispiele einer umgekehrten Bewegung der Feuchtigkeiten in den lymphatischen Gefäßen: Abh. zum Geb. für prakt. Aerzte B. 10. S. 200.

per vomitum sanationes. Quoniam nunc experientia a viris fide dignissimis capta, et quae secundum et quae praeter naturam eveniunt, satis luculenter demonstrant, aliam praeter renes adesse viam, qua fluida ad vesicae cavum perueniant; hanc viam indagare reliquum erit. Mitto nunc ea omnia, quae hac de re ASCLEPIADES ^{a)}, BERNH. ALBINVS ^{a)}, et CL. KRATZENSTEIN ^{b)} tradiderunt, et vnam propugno DARVINI sententiam, qui fluida per vasa vesicae absorbentia, cum vasis lacteis communicantia, in statu valvularum morboſo ad vesicam directione contraria moueri docuit. Facile enim intelligitur, clarissimi viri doctrinam, fluxui diabetico accommodatam, naturam et indolem morbi egregie illustrare. Quo clarius vero de huius doctrinae dignitate constet, opus est, ut ad tertiam quaestionem nos accingamus: an omnia fluxus diabetici phoenomena de motu lymphae et chyli versus vesicam retrogrado certiores nos reddant?

C 2

§. 32.

^{a)} Ejus dissert. de diabete vero. Francof. ad Oder. 1689.

^{a)} Ejus oper. lib. II. Tract. 3. Cap. I.

^{b)} l. c pag. 12 sq.



§. 32.

At sane juxta theoriam de motu retrogrado lymphae et chyli versus vesicam, dictu non difficile erit, vnde tam copia enormis, quam singularis ille fapor et odor vrinae diabeticorum proveniant. Vasa enim absorbentia, quae orificiis suis in totam superficiem externam, cutim dico et pulmones, aperiuntur, humidum aereum resorbent, eiusque maximam partem ad vesicam mitunt. Simili ratione vasa lactea chylum ex intestinis resumunt, et propter communicationem, quae inter vasa absorbentia vesicae et vasa lactea intercedit, vrinae assundunt. Fieri autem non potest propter lymphae et chyli e corpore fecesum, quin massae sanguineae et reliquorum humorum contextus naturalis destruatur, sales evolvantur et sitim inextinguibilem creent, et omnis succus, nutritioni atque augmento corporis destinatus, absumatur, vitae denique vires cum tono viscerum ob defraudatum alimentum prosternantur, et intra breue temporis spatium aegri redundantur Sceletis similes.

§. 33.

Ex iis, quae hactenus differuimus, satis constare nunc arbitror, motus retrogradi doctrinam



nam ab ipsa quasi natura dictitatam, omnem aliam, olim excogitatam, longo intervallo post se relinqueret, quam vero ut recte capias, haec attende. 1) Sunt innumerae caussae, quae lymphae motus directionem invertere valeant. Abusus spirituorum, quem inter caussas diabetis remotas solemniores locum tenere cognitum est, primam laedit digestionis officinam et chylum acrimoniam inficit, quae insignem systematis absorbentis irritabilitatem mirifice excitat, ut fluida ingesta vasa distendant ac valvulas premant, quae denique cedunt pressioni et fluidorum retrogressionem permittunt. Non absimili ratione vermes, aromata, alcalina, exanthemata retropulsa, viscerum obstructiones, pathemata animi et alia huius commatis irritantia agunt. Caeu tamen, credas, hactenus commemorata morbo producendo sola sufficere. Cum enim sexcentos cernere licet, qui ex faburra verminosa, spirituorum abusu, passione hypochondriaca, rel. quoquis alio symptomate, modo non fluxu diabetico laborant; tum a veritatis tramite non multum recedes, si statuas, vasis absorbentibus ad vesicam migrantibus morbosam, quaecumque demum ea sit, conditionem inhaerere, nata occasione morbo suscipiendo

piendo idoneam. Praedispositio enim si abest, non nocebit occasio; et vicissim si praedispositionem ab occasione caues, cavebis a morbo. 2) Et his quidem facile adduci te finas, tonum vasorum absorbentium alienatum, occasioni qualicumque iunctum, pro caussa diabetis proxima in vniuersum habere, quod tamen absque rei detimento fieri nequit. Caussa enim proxima vniuersam originis morbi rationem continet, omnes igitur et singulas remotas involvit. Iam vero aquosa humorum tenuitas, spissitudo inflammatoria atra-bilaria, mixtionem stabilem cum aquosis aegre admittens, crassamenti cum portione aquae iusto laxior cohaesio, acrimonia attenuans, dissolvens, colliquefaciens, multiplex, aquosa forte bilis inundatio, mixtionis hinc ac virtutis saponaceae de-structio, pinguedinis et gelatinæ nutrientis in laticem aquosum degeneratio cum vasculorum renalium laxitate ita conspirare potest, vt quidem frequentius in tonum vasorum absorbentium praeternaturaliter constitutum, neutiquam tamen semper in eo morbi caussam recte conferas, et causam proximam determinaturus, vix aliam invenias, quam seri, lymphae, olei, praeter naturam ad vesicam determinationem. Optandum sane est, vt quibus

quibus hoc leue videtur momentum, iis vero sit curae cordique. Hac enim via eo peruenimus, ut diuersis auctorum de caussa diabetis opinionibus, quatenus medentis attentionem in casu obvio merentur, nec quidquam detrahamus, nec nimium largiamur. 3) Quod denique motum lymphae retrogradum attinet, res, ut mihi quidem videtur, non ita accipienda est, quasi ipsa virium moventium directio invertatur. Haec enim directionis virium inversio ut haec tenus nulla comprobata est obseruatione, ita naturae legibus repugnat. Hinc simplicissimae etiam rationi magis convenit, uno ostio ventriculi clauso, et vi ac nisu contentorum versus parietes ab intensiore fibrarum muscularium contractione nimium auctio, eo recedere contenta, ubi minorem offendant resistentiam, in alterum scilicet ostium laxum atque apertum, et hac lege vomitum perfici absque inuersione motus peristaltici. Constat etiam ex aliis exemplis, spasmus pro intensitatis gradu liquidi in parte affecta motum modo accelerare, modo intendere, modo retardare, liquidum quoque vel retinere et congerere, vel ad alia loca, vicina scilicet, consentientia, opposita, minus resistentia repellere. Si tibi arridet nostra sententia, meminiſſe iuvabit, vasa corporis absorbentia sympathiam quamdam et consensionem

inter



inter se alere, quae efficit, vt vno vasorum ramo a stimulo vehementiore ad nimiam actionem sollicitato, eadem stimuli impressio, eademque, quae impressioni respondet, motus enormitas ad alterum ramum propagetur. Si vasa intestinorum lactea a quocumque irritamenti genere irritata fuerint, haec ipsa irritatio cum vasis lymphaticis viarum vrinae ita communicatur, vt cum in statu naturali, leni tantum palpitatione, quod verosimile est, fluidum moueat, excedens in statu morboſo fibrillarum palpitatio, et huic impar valvularum potentia, versus vesicam regurgitare sifnant absorbtum vesicae fluidum, quamque vasa ex intestinis imbiberunt chyli particulam. Quo frequentius redintegratur irritamenti genus, eo magis affluescit repetitae impressioni vasorum irritabilitas, vt a leuiori stimulo motus nec huic, nec functionibus corporis respondentes sequantur.

§. 34.

Neque igitur difficile erit, quae ad morbi prognosin faciunt, ex antecedentibus eruere. Diabetem morbum esse perrarum, et si inciderit, periculosum admodum ac saepe lethalem, in eo vno ore consentiunt omnes. Nescio tamen, an id, quod adeo rarum praedicant, mali genus, specie plerumque ac simulatione decipiat? Aegroti enim

enim dum diabete corripiuntur, bona sua vix habent suspecta ac negligunt morbum. Medicus saepe non animaduertit diabetem, nullam enim habet rationem vrinae vel quantitatis vel qualitatis vitiæ, nec reliqua aestimat, quae supra aestimanda commendavimus (§. 3.). An adeo mirum, morbum expertorum remediorum vim aut eludere plane, aut malignius ipsi cedere? cum diabetici a morbi principio nec dolorem nec magnum incommodum sentientes genio suo plerumque tantisper indulgeant, dum graviora, quae aegros medicinam adire cogunt, superveniant symptomata. Diabetes enim, qui in verminosos, hypochondriacos, feminas hystericas incidit, consuetudine nondum inveteratus, omnem omnino sanationem non respuit; at curatu difficilis est post immodicum laborem, nimiam venerem, chronicas febres, tantoque difficilior, quo diutius aegrum afflixit, quo proiectior aetas est, et quo magis fractae sunt vires. Funestum morbi exitum sudores frigidi, convulsiones, diarrhoea colliquatiua significant. Diabetes congenitus, qui labem systematis absorbentis, alta radice defixam, arguit, omni salutis spe aegrum deturbat.

§. 35.

Si quid igitur agas, tempestiue agas, ne vires vitae languescant. Norma agendi generalis

.ex





ex definita morbi natura fluit, et his potissimum absolvitur: 1) vt exploratum irritamenti genus removeamus, et caussis fugiendis et iis, quae caussis contraria sunt, admittendis nouam irritamenti successionem praepediamus 2) ut motum, quem conceperunt vasa lymphatica vehementiorem, compescamus 3) ut uniuersum corpus roborando, potentiae ad agendum aequilibrium restituamus, inter varios ramos ex genere vasorum lymphaticorum sublatum. Quo vero curatius praecepta generaliora ad casus specialiores applicari queant; non incongruum erit species diabetis adiicere ab artifice medico probe distinguendas.

§. 36.

I. *Diabetes a stimulo, qui primis viis inhaeret.*

Signa faburrae gastricae, acidae, biliosae, verminosae rel. Caussa sananda haud aegre eruitur. Hinc evacuantia, inprimis vomitoria, demulcentia, roborantia, amara, curam subinde absolvunt.

§. 37.

II. *Stimulus diureticus loco remotiori ineft, et lege consensu vasa vesicae resorbentia afficit.* Huc pertinet diabetes infantum a dentitione ^{c)}, rel.

§. 38.

^{c)} R. WHYTT de morb. neru. 1771. p. 421. MORTON I. S. C. Instante noua dentium eruptione, praefcri-

§. 38.

III. Nervorum mobilitas efficit, ut vitae sanae obiecta, res non naturales dictae, motum vasorum lymphaticorum excedentem et lymphae regurgitationem producant Hinc diabetes hypochondriacorum, hysteriarum, hominum qui praua et diurna consuetudine liquorum spirituorum ingurgitationis, quamuis ab ea in praesentiatarum abstineant, talem generis neruosi subierunt mutationem, ut vel a leuissimo stimulo ad virinam ferantur. Calor praeternaturalis, in partibus solidis accensis, spasti, affectus epileptici, vertiginosi, genus nervorum in caussa esse probabile reddunt. Primariam igitur affectionem respiciat medicus et neurosi occurrat, vigorem neruosum excitando, restaurando, per fugam caussarum et neruina congrua, energiam adiuuando, excretiones moderando, non neglecta aegritudine praegressa aut comitata, non raro laruata.

§. 39.

IV. Stimulus proxime agit in vasa viarum vrinnae lymphatica, et lege consensus tantum in remo-

scriptit Gr. VI. VII. vel VIII. rhei barbari omni mane et tantillum discordii hora somni sumendum. Nec dubitandum, vim rhabarbari ad vrinnae vias integrum pertinere, ob colorem, quem vrinnae impertit.



remotiora. Quod mihi quidem vbiuis obtinuisse videtur, vbi exanthemata retrorpulsa, febres, arthritis, diabetem excitarunt ^{d)}. In eo igitur casu agendum id erit a medico, vt acrimoniae, quaecumque sit, stimulum propria cuiuis medela imminuat, corrigat, deriuet et corpore educat; nec negligat ippetum stimuli in vasa lymphatica, paregoricis restinguendum.

§. 40.

V. *Actio irritamenti mechanici, ductus uriniferos adiacentis, immodicam urinae excretionem inducit.* Huius loci diabetes est ab excrementis induratis, a flatibus in colo retentis ^{e)}, rel. Salus a clysmatibus, medicamentis, eccoproticis, carminatiuis, exspectanda.

§. 41.

VI. *Aucta humidi aerëi per vasa cutanea inhalatio caussam profluuii sifit primariam.* Quae cum in omni fere diabete praestet est, tum in serie caussarum oppugnari debet a medico, si a principio morbi urina excernitur pallida, aquosa, absque notabili virium detimento; postea ve-

ro

d) SAUVAGES Nosol. method. Diabetes febricofus et arthriticus.

e) KÄMPEF Enchirid. med. p. 137.

ro, per sympathiam, vasorum resorbentium irritabilitas increscit, quae in testina, adiposae cellulas e. s. p. hiant. Salus a spirituosis, volatilibus, vigore excretionis cutaneae, fuga intemperantiae, refrigerii, pathematum animi deprimentium, integumentis corporis calidis, somno paucō sub stragulis capiendo, esculentis facile absumentis perspiratione. Huius generis diabetem diaeta congrua, aeris humidi, frigidi, fuga et motu corporis, sub coelo sicco, sereno, santom legimus f). Quae si fuerint incassum tentata, nihil conuenientius erit inunctionibus oleofisis, quas perperam negligit aetas nostra g).

§. 42.

VII. Subinde omnino inertia sunt vasa vesicae resorbentia; vasorum vero renalium imbecillitas humoris serosi congestionem auget. Haec species diabetis partium inferiorum paralysin, retentionem vrinae, maxime in senibus excipit. Vasorum vesicae resorbentium tonus ut ad statum naturalem reducatur, quod tamen aegre obtinetur, opus est topica roborantium applicatione, frictionibus neruinis, huius generis fomen-

f) SWIETEN Comm. in BOERHAAV. T. II. p. 275.

g) DARVIN l. c.



fomentis, vnguentis, embrocatione, vesicato-
riis. Tincturae cantharidum adeo laudatae
virtutes ^{h)}, si recte sentio, huic potissimum
diabetis naturae conueniunt, quae ad atoniam
redit, in qua superanda vix alias stimulus
prae illo cantharidum excellit.

§. 43.

VIII. *Vires corporis labefactatae, et mixtio liquidorum omnium peruersa immodi ci urinae profluuii rationem continent.* Quae causa si fuerit signis suis declarata, vitam aegri pericitari, etiam me non dicente intelligis. Eamdem enim originem agnoscit cum diarrhoea et sudoribus hecticorum, eamdem medelam requirit, eademque ratione medicamentorum vim respuit. Sed haec differuisse sufficiat.

^{h)} TH. MORGAN mechanical practice of Physick. Lond.
1715. p. 354.

BRISBANE auserles. med. pract. Fälle a. d. Engl.
Altenb. 1771.

v. d. HAAR Wahrnehmung v. e. Harnruhr w. d. d. Ge-
brauch d. Chinarinde u. d. spanischen Fliegen geheilt
worden. Abh. z. Geb. f. pract. Aerzte. B. 8. p. 41.

to-
tae
um
am
lus

ido-
uiii
nis
am
uim
ous
ea-
uit.

ond.

ngl.

Ge-
heilt

1018
TICA



SPECIMEN IN AVGRALE MEDICVM
DIABETIS
INDOLEM AC MEDELAM
SISTENS

QVOD
GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
CONSENSV

PRAESIDE
D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN

PROFESSORE MEDICINAE, PHILOSOPHIAE

ET

HISTORIAE NATVRALIS PVBLICO ORDINARIO, C ET.

PRO GRADV DOCTORIS
SOLEMNITER CONSEQVENDO

AD D. X. NOVEMBR. MDCCCLXXXVI.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITIT

A V C T O R
VALENTINVS THEOPHILVS GERTH

MARIEBVRGO - BORVSSVS OCCIDENTALIS.

HALAE,

FORMIS I. C. HENDELII.